

ADNOTATIO AD RESPONSUM AUTHENTICUM CIRCA CAN. 346 § 1

D. Utrum, Episcopi emeriti, de quibus in can. 402, § 1, ab Episcoporum Conferentia eligi possint, iuxta can. 346 § 1 praescriptum, uti Synodi Episcoporum sodales.

R. Affirmative¹

Responsum tantum modo explicito dicit id quod in c. 346 § 1 sine dubio continetur, quia canon dicit: «*Synodus Episcoporum... constat sodalibus quorum plerique sunt Episcopi...*», sine ulla distinctione inter varias categorias Episcoporum. Praeterea hoc responsum non videtur fuisse necessarium, quia iam inter normas a Congregatione pro Episcopis die 31 octobris 1988 latas, a Romano Pontifice in audientia concessa die 29 octobris 1988 approbatas², haec norma inveniebatur:

«3. In seligendis membris, qui participare debebunt synodum episcoporum, conferentiae episcopales attendere poterunt etiam quemdam ex episcopis emeritis, qui peculiari competentia atque experientia sint praediti».

¹ Responsum Coetus ordinarii Pontificii Consilii de Legum Textibus Interpretandis diei 2 iunii 1991, in audientia die 10 octobris 1991 approbatum, die 3 decembris 1991 promulgatum in AAS 83 (1991) 1093; *Communicationes* 20 (1991) 140.

² Cf. *Communicationes* 20 (1988) 167-168; *Enchiridion Vaticanum* 11/1431-1438.

Rationes huius normae inveniuntur in initio introductionis documenti Congregationis pro Episcopis: a) Episcopi emeriti esse pergunt membra Collegii Episcoporum «vi consecrationis episcopalis et hierarchicae communionis (sic!) cum Collegii Capite et membris» (c. 336); b) inveniendi sunt modi, quibus Episcopi emeriti adhuc Ecclesiae utiles se sentire possit. Unus ex his modis est partes habere in coetu Episcoporum Synodi.

Synodus Episcoporum, enim, est institutum ecclesiasticum centrale, quod est Episcoporum consilium pro universa Ecclesia Romae constitutum, quodque, in quantum, partes agens totius catholici Episcopatus, affectum collegialem manifestat, efficax est adiutorium Romano Pontifici in eius muneris primatialis exercitio (CD 5; cc. 342; 334)³.

Affectus collegialis seu *collegialitas affectiva*, inter Episcopos atque inter eos et Romanum Pontificem vicens, duplex fundamentum habet. Communis consecratio episcopalis, ex qua communio sacramentalis fluit, primum fundamentum sacramentale-ontologicum est; hierarchica communio alterum fundamentum ecclesiologicum-structurale constituit. Consecratio episcopalis, enim, in successionis apostolicae plenitudinem immittit, quae, tamen, sub respectu ecclesiologico tantum in hierarchica communione vere manifestatur.

Ex affectu collegiali Episcoporum sollicitudo pro aliis Ecclesiis particularibus et universa Ecclesia fluit (LG 23b. c; CD 3; 5; 6a). Affectus collegialis actuatur atque exprimitur iuxta varios gradus differentibus

³ Cf. PAULUM VI, M.p. *Apostolica sollicitudo*, I-II, in AAS 57 (1965) 776-777.

formis, etiam institutionalizatis, inter quos Episcoporum Synodus enumeratur⁴, etsi plene tantum per strictam actionem collegialem, per actionem, scilicet, omnium Episcoporum una cum eorum Capite qua potestatem plenam et supremam in universam Ecclesiam ipsi exerceant (LG 22b)⁵. Ex ipsa natura collegiali ministerii apostolici, quae de iure divino est, sequitur quod *communio Episcoporum*, collegialitas scilicet affectiva seu affectus collegialis, inter Episcopos continuo viget; tamen tantum in aliquibus actibus tamquam *collegialitas effectiva* exprimitur. Omnes formae actionis collegialitatis affectivae in collegialitate effectiva de iure ecclesiastico sunt, sed differentibus gradibus ad concretam applicationem perducunt postulatum iuris divini ut Episcopatus modo collegiali sese exprimat (LG 22a). In sua allocutione diei 29 octobris 1987, VII exeunte coetu ordinario generali Synodi Episcoporum habita, IOANNES PAULUS II affirmabat «*synodalitatem effectivam*» (seu collegialitatem effectivam) in Synodo expertam, sic per analogiam relate ad plenitudinem suae actionis definiri posse; etsi haec plenitudo in actione stricte collegiali tantum habeatur, tamen eiusdem vim internam prolongari et continuari in posterum tempus tamquam «*synodalitatem affectivam*», quia inter Epi-

⁴ Cf. Synodus Extr. Episcoporum 1985, Rel. Fin. *Exeunte coetu*, II.C.4, Città del Vaticano 1985, 13-14; *Enchiridion Vaticanum* 9/1803-1804.

⁵ Synodum Extr. Episc. 1969, Rel. dottr. *Elapso Oecumenico Concilio*, capp. II-III, in *Enchiridion Vaticanum* 3/1665-1682; Rel. *Nunc nobis*, cap. III, in *Enchiridion Vaticanum* 3/1713-1720. SYNODUM EXTR. EPISC. 1985, Rel. fin. *Exeunte coetu*, II.C.4, Città del Vaticano 1985, 13-14; *Enchiridion Vaticanum* 9/1803-1804; IOANNES PAULUS II. Cost. Ap. *Pastor Bonus*, Adnexum I, 4, in AAS 80 (1989) 914-915.

scopos synodalitas seu collegialitas affectiva (*affectus collegialis*) vigere pergīt⁶.

Quia affectus collegialis est realitas ontologica-sacramentalis et simul ecclesiologica-structuralis, etsi officium in Ecclesia non habeant, Episcopi emeriti in ea manent. Hoc apparet etiam ex eo quod ius habent ut Concilio oecumenico cum suffragio deliberativo intersint (c. 339) et potestatem collegialem ad normam c. 337 § 2 exercet. Attamen quia in Ecclesia officium Pastoris alicuius Ecclesiae particularis vel alterius generis non alius Episcopus emeritus exercet, ut membrum Synodi episcoporum eligi potest tantum iuxta normas latas a congregatione pro Episcopis, id est tantum ratione suae peculiaris competetiae atque experientiae.

GIANFRANCO GHIRLANDA S.J.

⁶ Cf. AAS 80 (1988) 610.